

temporaliter autem donatum. Et si dominus non dicitur, nisi cum habere incipit servum, etiam ista appellatio^a relativa ex tempore est Deo. Non enim sempiterna creatura est, cuius ille dominus est; ergo dominum esse non sempiternum habet, ne cogamur etiam creaturam sempiternam dicere, quia ille sempiternae non dominaretur, nisi etiam ista sempiternae famularetur. Sicut autem non potest esse servus qui non habet dominum, sic nec dominus qui non habet servum^b.

284 Sed hic aliquis dicet, quod non ex tempore competit Deo haec appellatio, qua dicitur dominus, quia non est tantum dominus rerum, quae ex tempore coeperunt, sed etiam illius rei, quae non coepit ex tempore, id est ipsius temporis, quod non coepit in^c tempore, quia non erat ante tempus quam inciperet; et ideo non coepit esse dominus ex tempore^d.

Ad quod dici potest, quia licet non coeperit ex tempore esse dominus temporis^e, coepit tamen esse dominus temporis, quia non semper fuit tempus; et ipsius hominis ex tempore coepit esse dominus^f.

De hoc Augustinus in eodem libro¹ continue ita dicit: « Quisquis extiterit, qui aeternum Deum solum dicat, tempora vero non esse aeterna propter varietatem et mutabilitatem, sed tamen tempora non in tempore esse coepisse, quia non erat tempus, antequam tempora inciperent, et ideo non in tempore acciderit^g Deo, ut dominus esset, quia ipsorum temporum dominus erat, quae utique non in tempore esse coeperunt — quid respondebit de homine, qui in tempore factus est, cuius utique dominus non erat, antequam^h esset? Certe, ut dominus hominis esset, ex tempore acciderit Deo, et ut omnis amoveatur controversia, certe ut tuus dominus esset vel meus, qui modo esse coepimus, ex tempore habuit. Quomodo igitur obtinebimus, nihil secundum accidens dici Deumⁱ?

^a V relatio. ^b Ed. ex. ^c B om. ^d *ex tempore*. ^e D om.
^f ABDG hic addunt sequentem notulam, quam V ponit ut collateralem, et quam UZ omittunt: « Quando coepit tempus, Deus coepit esse dominus, nec ante tempus fuit dominus, sed cum tempore, non ex tempore vel in tempore, quia non ante fuit tempus quam ipse dominus, sed simul ». ^g Ed. et D add. ipsa. ^h Ed. accidere. ⁱ D add. factus. ^j Ed. B (corr. post.) et D de Deo.

¹ Loc. cit. Cf. Hugo, *Sum. Sent.* tr. 1, c. 10 (P. L. 176, 58); Abel, *III. Theol. loc. cit.*

Petri Lombardi, Libri IV Sententiarum
ed. Quaracchi

Nisi quia ipsius naturae nihil accidit, quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa, quae cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt, sicut amicus relative dicitur. Non enim amicus esse incipit, nisi cum amare coeperit; fit ergo aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. Nummus vero, cum dicitur pretium, relative dicitur; nec tamen mutatus est, cum esse coepit^a pretium, neque cum dicitur pignus et huiusmodi. Si ergo nummus potest nulla^b sui mutatione toties dici relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in eius natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat: quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, quod ita dicatur relative aliquid ad creatorum, ut, quavis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiae Dei accidisse aliquid^c intelligatur, sed illi creaturae, ad quam dicitur. Qualiter etiam *refugium nostrum*¹ dicitur: refugium enim nostrum^d dicitur Deus relative: ad nos enim refertur, et tunc refugium nostrum fit^e, cum ad eum refugimus. Nunquid tunc fit aliquid in eius natura, quod, antequam refugeremus ad eum, non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio, qui ad eum refugiendo efficiamur meliores; in illo autem nulla. Sicut et pater noster esse incipit, cum per eius gratiam regeneramur, qui *dedit nobis potestatem filios Dei fieri*². Substantia igitur nostra mutatur in melius, cum filii eius efficiamur. Simul^f et illo pater noster esse incipit, sed nulla suae commutatione sui^g naturae. Quod ergo temporaliter dici incipit Deus quod antea non^h dicitur, manifestum est relative dici, non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens eius, ad quod dici aliquid Deus incipit relativeⁱ.

Ex his aperto ostenditur, quod quaedam de Deo temporaliter dicuntur relative ad creaturas sine mutatione deitatis, sed non sine mutatione creaturae; et ita accidens est in creatura, non in Creatore, et appellatio, qua creatura relative dicitur ad Creatorem, relativa est et relationem notat, quae est in ipsa creatura. Appellatio vero illa, qua Creator relative dicitur ad creaturam, relativa quidem est, sed nullam notat relationem, quae sit in Creatore.

^a Ed. coeperit. ^b B sine ulla. ^c Ed. aliqua. ^d D om. ^e B om.
^f Ed. cum 2 similiter.

¹ Psalmi 17, 2, et passim. ² Ioan. 1, 12.

legitur (*Joh. xv, 26*). Exiit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus; et ideo non dicitur filius, quia neque natus est sicut Unigenitus, neque factus ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicuti nos. Quod enim de Patre natum est, ad Patrem solum refertur cum dicitur Filius, et ideo Filius Patris, non et noster¹: quod autem datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit; itaque Spiritus sanctus, non tantum Patris et Filii qui dederunt, sed etiam noster dicitur qui accepimus: sicut dicitur, *Dominus salus qui dat salutem* (*Psal. m, 9*), eadem etiam nostra salus est qui accepimus. Spiritus ergo et Dei est qui dedit, et noster qui accepimus. Non ille spiritus noster quo sumus, quia ipse spiritus est hominis qui in ipso est: sed alio modo iste noster est, quo dicimus ei, *Panem nostrum da nobis* (*Matth. vi, 11*). Quanquam et illum spiritum qui hominis dicitur, utique accepimus. *Quid enim habes*, inquit², *quod non accepisti* (*I Cor. iv, 7*)? Sed aliud est quod accepimus ut essemus, aliud quod accepimus ut sancti essemus. Unde scriptum est et de Joanne, quod in spiritu et virtute Eliae veniret (*Luc. i, 17*): dicitur est Eliae spiritus, scilicet Spiritus sanctus quem accepit Elias. Hoc et de Moysse intelligendum est, cum ait ei Dominus, *Tollam de spiritu tuo, et dabo eis* (*Num. xi, 17*): hoc est, dabo illis de Spiritu sancto, quem jam tibi dedi. Si ergo et quod datur, principium habet eum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit; fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia: sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum sanctum unum principium; ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus.

CAPUT XV. — 16. *An Spiritus sanctus esset donum et antequam daretur.* Uterius³ autem queritur, utrum quemadmodum Filius non hoc tantum habet nascendo ut Filius sit, sed omnino ut sit; sic et Spiritus sanctus eo quo datur habeat non tantum ut donum sit, sed omnino ut sit: utrum ergo erat antequam daretur, sed nondum erat donum, an eo ipso quo daturus erat cum Deus, jam donum erat et antequam daretur. Sed si non procedit nisi cum datur, nec procederet utique priusquam esset cui daretur; quomodo jam erat ipsa substantia, si non est nisi quia datur: sicut Filius non tantum ut sit Filius, quod relative dicitur, sed omnino ut sit ipsam substantiam⁴ nascendo habet? An semper procedit Spiritus sanctus, et non ex tempore, sed ab aeternitate procedit; sed quia sic procedebat ut esset donabile; jam donum erat, et antequam esset cui daretur? Aliter enim intelligitur eum dicitur donum, aliter eum dicitur donatum. Nam donum potest esse et antequam detur; donatum

autem nisi datum fuerit nullo modo dici potest.

CAPUT XVI. — 17. *Quod de Deo ex tempore dicitur, relative dicitur, non accidentaliter.* Nec moveat quod Spiritus sanctus cum sit coaeternus Patri et Filio, dicitur tamen aliquid ex tempore, veluti hoc ipsum quod donatum diximus. Nam sempiternae Spiritus donum, temporaliter autem donatum. Nam et si dominus non dicitur, nisi cum habere incipit servum, etiam ista appellatio relativa ex tempore est Deo: non enim sempiterna creatura est, cujus est ille Dominus. Quomodo ergo obtinebimus nec ipsa relativa esse accidentia, quoniam nihil accidit Deo temporaliter, quia non est mutabilis, sicut in exordio hujus disputationis tractavimus. Ecce Dominum esse non sempiternum habet, ne cogamur etiam sempiternam creaturam dicere, quia ille sempiternae non dominaretur, nisi etiam ista sempiternae famularetur. Sicut autem non potest esse servus qui non habet dominum, sic nec dominus qui non habet servum. Et quisquis exstiterit qui aeternum quidem Deum solum dicat, tempora autem non esse aeterna propter varietatem et mutabilitatem, sed tempora tamen non in tempore esse coepisse (non enim erat tempus antequam inciperent tempora, et ideo non in tempore accidit Deo ut Dominus esset, quia ipsorum temporum Dominus erat, quae utique non in tempore esse coeperunt); quid respondebit de homine, qui in tempore factus est, cujus utique Dominus non erat antequam esset cui esset? Certe vel ut Dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo: et ut omnis auferri videatur controversia, certe ut tuus Dominus esset, aut meus, qui modo esse coepimus, ex tempore accidit Deo. Aut si et hoc propter obscuram questionem animae videtur incertum, quid ut esset Dominus populi Israel? Quia etsi jam erat animae natura, quam ille populus habebat, quod modo non querimus; tamen ille populus nondum erat, et quando esse coepit apparet. Postremo ut Dominus esset hujus arboris et hujus segetis, ex tempore accidit, quae modo esse coeperunt. Quia etsi materies ipsa jam erat, aliud est tamen dominum esse materiae, aliud esse dominum jam factae naturae. Alio enim tempore est etiam homo dominus ligni, et alio tempore dominus est arbor, quamvis ex ipso ligno fabricatae, quod utique non erat, cum ligni dominus jam esset. Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici Deum, nisi quia ipsius naturae nihil accidit quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa, quae cum aliqua mutatione rerum de quibus dicitur, accidunt. Sicut amicus relative dicitur; neque enim esse incipit, nisi cum amare coeperit: sit ergo aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. Nummus autem cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est cum esse coepit pretium: neque cum dicitur pignus, et si qua sunt similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat; quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relative aliquid ad

¹ Fr. Lugd. Ven. Lov., et non noster. M.

² Fr. Lugd. Ven. Lov., inquit apostolus. M.

³ Am. et plures Mss., *interius*. Tres alii Mss., *interim*.

⁴ Plerique Mss., *ipsa substantia*.

creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur? *Domine, inquit, refugium factus es nobis (Psal. LXXXIX, 1)*. Refugium ergo nostrum Deus relative dicitur, ad nos enim refertur, et tunc refugium nostrum fit, cum ad eum refugimus: numquid tunc fit aliquid in ejus natura, quod antequam ad eum refugeremus non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio: deteriores enim fuimus antequam ad eum refugeremus, et efficiuntur ad eum refugiendo meliores: in illo autem nulla. Sic et pater noster esse incipit, cum per ejus gratiam regeneramur, quoniam dedit nobis potestatem filios Dei fieri (*Joan., 12*). Substantia itaque nostra mutatur in melius, cum filii ejus efficiuntur: similiter ille pater noster esse incipit, sed nulla commutatione suæ substantiæ. Quod ergo temporaliter dici incipit

Deus quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici: non tamen secundum accidens Dei quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens ejus ad quod dici aliquid Deus incipit relative. Et quod anticus Dei justus esse incipit, ipse mutatur: Deus autem absit ut temporaliter aliquem diligit¹, quasi nova dilectione qua in illo ante non erat, apud quem nec præterita transierunt, et futura jam facta sunt. Itaque omnes sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sicut prædestinavit: sed cum convertuntur et inveniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur, ut eo modo dicatur quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam cum iratus malis dicitur, et placidus bonis; illi mutantur, non ipse: sicut lux infirmis oculis aspera, firmis tenis est; ipsorum scilicet mutatione, non sua.

¹ Sic Mss. Editi autem, aliquando diligit.

LIBER SEXTUS.

In quo proposita questione, quomodo dictus sit Christus ore apostolico, *Dei virtus et Dei sapientia*, disputatur utrum Pater non sit ipse sapientia, sed tantum sapientie Pater, a sapientia sapientiam genuerit: et dilata paulisper solutione, probatur unitas et æqualitas Patris et Filii ac Spiritus sancti: et non Deum triplicem, sed Trinitatem credi oportere. Illud postremo loco explicatur Hilarii dictum: «Æternitas in Patre, species in Imagine, usus in Munere.»



CAPUT PRIMUM. — 1. *Filius secundum Apostolum virtus et sapientia Dei Patris. Hinc ratiocinatio Catholicorum contra priores Arianos. Difficultas an Pater non sit ipse sapientia, sed tantum sapientie Pater. Æqualitatem Patris et Filii et Spiritus sancti putant nonnulli ex hoc impediri quominus intelligatur, quia scriptum est, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam: ut ideo non videntur æqualitas, quia non est Pater ipse virtus et sapientia, sed genitor virtutis et sapientie. Et revera non medioeri intentione queri solet, quomodo dicatur Deus virtutis et sapientie Pater. At enim Apostolus, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (I Cor. 1, 24). Et hinc nonnulli nostri adversum Arianos hoc modo ratiocinati sunt, eos dumtaxat qui prius se adversum catholicam fidem extulerunt. Nam ipse Arius dixisse fertur, Si filius est, natus est; si natus est, erat tempus quando non erat filius: non intelligens etiam natum esse Deo sempiternum esse, ut sit coæternus Patri Filius, sicut splendor qui gignitur ab igne atque diffunditur, coævus est illi, et esset coæternus, si esset ignis æternus. Unde quidam posteriores Ariani abjecerunt istam sententiam, fassique sunt, non ex tempore cœpisse Filium Dei. Sed inter disputationes quas habebant nostri adversum eos qui dicebant, Erat tempus quando non erat Filius, hanc etiam nonnulli ratiocinationem inserebant: Si Dei Filius virtus et sapientia Dei est, nec unquam Deus sine virtute et sapientia fuit, coæternus est Deo Patri Filius: dicit autem Apostolus, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam; et Deum aliquando non habuisse virtutem aut sapientiam, dementis est dicere: non igitur erat tempus quando non erat Filius.*

2. Quæ ratiocinatio ad id cogit, ut dicamus Deum

Patrem non esse sapientem, nisi habendo sapientiam quam genuit, non existendo per se Pater ipsa¹ sapientia. Deinde si ita est, Filius quoque ipse sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, videndum est utrum possit sapientia de sapientia dici, si non est Deus Pater ipsa sapientia, sed tantum genitor sapientie. Quod si tenemus, cur non et magnitudinis suæ, et bonitatis, et æternitatis, et omnipotentie suæ genitor sit, ut non ipse sit sua magnitudo, et sua bonitas, et sua æternitas, et sua omnipotentia, sed ea magnitudine magnus sit quam genuit, et ea bonitate bonus, et ea æternitate æternus, et ea omnipotentia omnipotens quæ de illo nata est, sicut non ipse sua sapientia est², sed ea sapientia sapiens est quæ de illo nata est? Nam illud non est formidandum, ne cogamur multos filios Dei dicere, præter adoptionem creaturæ, coæternos Patri, si magnitudinis suæ genitor est, et bonitatis, et æternitatis, et omnipotentie. Huic enim calumniæ facile responderetur, sic non effici, quia multa nominata sunt, ut ille multorum filiorum coæternorum sit pater; quemadmodum non efficitur ut duorum sit, cum dicitur Christus Dei virtus et Dei sapientia. Eadem quippe virtus quæ sapientia, et eadem sapientia quæ virtus est: ita igitur³ etiam de cæteris, ut eadem sit magnitudo quæ virtus, et si qua alia, quæ vel supra commemorata sunt, vel commemorari adhuc possunt.

CAPUT II. — 3. *Quæ de Patre et Filio simul dicuntur, quæ non.* Sed si non dicitur in se ipso nisi quod ad Filium dicitur, id est, pater, vel genitor, vel principium ejus; si etiam gignens ei quod de se gignit,

¹ Plures Mss., ipse.

² Aliquot Mss., sicut non ipse ipsa sua sapientia est.

³ Editi, itane igitur? Castigantur ex Mss.